Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iij.

et cito senescunt et debiles fiunt Exemplum accipe
manifestum in thauris. Dum enim duo thauri
inter se bellum gerunt mox ille qui vincit quasi
glorians de victoria super feminam suam saliens
et thaurus devictus sciens victorem naturam dece-
re debilitatam ex coitu esse mox eum invadit ipsum
que devincit. Item secundo incontinencia vitam minuit
et mortem accelerare facit dum humidum radicale
consumit Unde multi antiquorum ut prolongarent
vitam se continebant a luxuria et quantum valebant
a gula que prima est altius excitativa Exemplum accipe ele-
phantum Nam elephantes non coeunt nisi in oc-
culto et hoc valde raro quia non nisi in duobus an-
nis quinque tamen diebus raro addito sexto vacant
luxurie. Et est nobile quia elephantes numquam ad uxorem
accedunt postquam pregnans fuit licet portet in ven-
tre duobus annis post partum etiam per triennium ab
uxore se subtrahit nec umquam etiam adulterium inter
elephantes existit quorum omnium contrarium homo
facit. Dicit igitur Aristotiles quod ob maximam conti-
nenciam elephantes sunt longissime vite ita
ut trecentis annis inveniantur vivere Item
dicit idem philosophus quod passeres masculini minus
quam sue femine vivunt quia frequencius coeunt. Dicit
enim multum plus equo vivunt propter bonum continencie
propter has igitur causas iam dictas Matrone Roma-
ne fuerunt que tamen coniugalem continenciam ama-
verunt quod prius mori quam cognosci ab aliis quam a
suis viris voluerunt. Unde narrat ecclesiastica
historia quod maxencius imperator tyrannidem tan-
tam Rome exercebat quod omnes nobiles maritatas
quas formosas esse noverat ad se duci faciebat
Cumque ad quandam valde nobilem suos nuncios des-
tinasset ut ad se mox veniret illa retulit ad
maritum quod rex vellet ingressus tunc maritus domina
aut oportet hec pati aut mori cumque illa sic titubantem